



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 36. Nativitas Ferdinandi Archiducis, & Isabellæ Lusitanæ Infantis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

ab armis cessabant, idque non parum e  
re Pontificis erat, qui tamen, ut eorum  
potentiam minueret, nil intentatum re-  
liquit.

æcul. XVI.  
A.C. 1503.

§. XXXVI.

*Nativitas Ferdinandi Archiducis,  
& Isabellæ Lusitanæ In-  
fantis.*

Hoc anno die decima Martii in Hispania Joanna Archiducissa, quæ post Archiducis conjugis sui discessum Com-  
pluti remanserat, Filium enixa est, qui Ferdinandus appellatus, postea Cæsaris dignitate inclaruit. Archiepiscopus Toletanus, qui Principem sacro fonte abluit, festivæ hujus nativitatis opportunitate usus, geminam ab Isabella Regina gratiam petiit, ut primo urbs Complutensis ab omni exactionum genere immunis esset, ac denique mille librarum pensio annui redditus ex ærario Regis ejusdem Civitatis Universitati attribueretur. Id ipsum, quod Archiepiscopus petiit, in recens nati Principis gratiam feliciter obtinuit, indeque sibi Complutenses, in quorum urbe pro more suo habitabat, mire devinxit. Circa idem tempus Ulyssipone die vigesima quarta proximi Mensis Octobris Lusitanæ Regina Filiam in lucem edidit, quæ imposito Isabellæ nomine

*Marian. l. 27  
n. 9. 7. &  
lib. 28.  
Alvarez.  
Gomez. l. 3.*



Sæcul. XVI. A.C. 1503. mine postea Imperatrix, ac Hispaniæ Regina, eoquod cum Carolo V. tum Imperatore desponsata esset, salutata fuit.

## §. XXXVII.

*Galli Salsularum obsidionem solvere compulsi.*

*Marian. lib. 28. n. 21.*

Affidue fervebant Gallorum Salsulas urbem obsidentium studia, ac diu noctuque muralibus tormentis mœnia tanto impetu quatiebantur, ut oppugnatione puncto quidem temporis intermissa, magna altioris turris pars eversa, & terreus agger, cui nondum ultima manus accefferat, penitus ferme destructus esset, quapropter Hispani ejus præsidio haud amplius tuti, illo excedere, ac nova retro propugnacula erigere decernunt; priusquam vero consilium exequerentur, per hunc aggerem cuniculum agunt, eumque pulvere pyrio replent, cumque Galli turmatim ascenderent, igne ab Hispanis subjecto, aggerem violenta vis ignium in sublime rapuit, Gallosque quadringentos rursus decidertium saxorum impetus oppressit: Præterea Albenfis Dux, cum in exercitu suo decem millia peditum, equitumque mille quingentos, præter Cataphractorum quadringentos recenseret, sat virium habebat.